

05

A

1182





Q. D. B. V.

Dissertatio Physica  
DE  
NUBE

Quam

*In illustri ad Albim Athenaeo*

SUB PRÆSIDIO

M. GOTTFRIED THILONIS

Aurimont Siles.

*Publicæ ac placidæ Eruditorum συζητήσει exponit*

Respondens.

DANIEL LANGIUS

Bregâ Silesius.

*Ad d. XII. Jan. A. 1667.*

In Auditorio minori horis matutinis.

---

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXVII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The words "Müller" and "Physica" are faintly visible.



Handwritten text: 2010 05 A 1182



## Proæmium.



*Oncinna sanè ac nervosa Philosoph. L. i. c. 5. de partibus animal. est sententia ἐν πᾶσι τοῖς ζῴοις ἢ τῆς ἰσχυρίας. Etenim sive totius Universitatis fabricam conjunctim spectemus, sive singulas partes, quibus eadem undiquaque referta, seorsim pensuemus, cui non hac omnia amplam satis admirationis suppeditant materiam; Solum si contemplemur aërem, omnia hic mirabilia. Quicquid videmus, quicquid audimus, id omne in admirationem Sapientie, Potentie ac Clementie benignissimi Numinis nos trahit atq; deducit. Fulmina, fulgura, tonitrua & ventorum murmura, terrifica illa divine justitie tela ac signa quis quæso non miretur? Ut nihil nunc referam de Iride Thaumantis filiâ, de Paraselenis, de Capris saltantibus, Draconibus volantibus, & aliis meteoris aërem inhabitantibus, qua omnia in summum nos rapiunt stuporem atq; admirationem. O quàm mirabilia sunt omnia opera tua Domine! Palmam tamen præripere videntur pendule in aëre Nubes, cum & dignitate reliquis antecellant, & magnâ admiratione animos percellant. In his solis Natura tam mirificè ludit, ut reliqua, qua terrarum circulus capit formosa illudat. Hac ratione moti & nos, in præsentiarum Nubes mirari, contemplari, illarumq; causas & adjuncta scrutari animo induximus. Arduam sanè provinciam, & quam non nisi exercitatisimi quiq; sustinere valeant: cum præsertim Meteorum doctrina, teste Illustri Tych. Brahe L. i. Progymn. p. 641. & Aristot. l. i. Met. c. 1. sit intricatissima. Sed cum magna sapientie humane pars sit, quedam animo æquo ignorare velle, nos quoq; eadem imperfectâ saltem quam natura rerum nobis indulget, notitiâ erimus contenti. Tua vero, Deus gloriose, Gratia in omnem nos ducat veritatem.*

# SECTIO I.

## Theorema I.

*Nubes est Meteorum aqueum ex effluviis ad me-  
diam aëris regionem delatis genitum, & pro  
Ventorum varietate variè agitatum.*

ἐκθεσις.

§. I. **C**um Ordo nebulas obscuritatis non aliter atq; lux nos-  
tra tenebras dispellat, & ita veritatem, quæ prodesse  
solet cunctis, nihilq; magis erubescit quàm abscondi, eò citius  
commonstret, operæ pretium duximus esse, si & hîc ad ipsum  
tanquam exactam normam nostram exigeremus Disputatio-  
nem. Cum verò ὁμοιοτάτοιαι sint, τῆς ἀληθείας, τὰ τῆς ὀνόματα,  
καὶ τὰ πράγματα, Autore Clem. Alexand. 6. Strom. p. 293.  
primò omnium trito illi Sapientum effato eò libentius subscri-  
bimus: Omnis Dissertationis principium duci debet ab expo-  
sitione nominis, quò magis, quàm appositè ad præsens hoc no-  
strum meletema illud quadrare sit apertum. Positâ enim & ex-  
positâ nominis definitione, rei ipsius, quæ aliàs ardua satis,  
multum accipiet lucis ac perspicuitatis.

§. II. Exhibet itaq; ὄνομα ἔλογια h. e. Nominis ist hæc  
Definitio, tum ἐτυμολογίαν, vel nominis derivationem, tum  
ὁμωνομίαν vel multiplicem significationem, tum Συνοουμίαν  
seu diversam appellationem.

§. III. Etymologiam quod attinet, vocabulum nubis Phi-  
lologi pleriq; à nubendo seu operiendo deductum volunt,  
quod cælum obnubat h. e. tegat. conf Psalm. CXLVIII. p. 8.  
ubi dicitur: Deus operit cælum nubibus & parat terræ pluvii-  
am. Usq; adeò.

**Conveniunt rebus nomina sæpè suis.**

Nam nubo idem proprie est quod velo, operio, καλύπτω. Hinc  
dicuntur nuptæ virgines illæ, quæ dum viro tradebantur, nu-  
bere h. e. velare s. tegere capita solebant, & verba nupta i. e.

recta.

tecta quæ virginem non decebant. Plautus in dyscolo Jt Nep-  
tunus, quod nubat h. e. nube terram. operiat Becm. de Orig. LL.

§. IV. Cum etiam vocabulum nubis ex eorum numero sit,  
quæ Philosophis ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγόμενων dicuntur; Homo-  
nymia ejus, ne nobis mater confusionis errorisq; genetrix sit,  
cautè distinguenda & explicanda est. Sumitur a, apud Theolo-  
gos pariter ac Philosophos i. *improprie*: idq; tum i. *Metaphoricè*  
pro (α) magnâ copiâ & multitudine seu numero ingenti, ut  
Heb. XII v. 1, ubi per nubem testium intelligit agmen testium,  
quod est velut densa nubes. Jerem. c. IV. v. 13. Ecce tanquam  
nubes ascendet, nim. hostilis exercitus, Targum, sicut nubes  
quæ ascendit & tegit terram. conf. Ezech. c. XXX P. 10. Et a-  
pud profanos Auctores. Homerum Il. νέφθ' ἑρέζων. Hercul-  
es interfectis liberis & Uxore dicebat apud Poëtam: Circum-  
dat me nubes luctuum. (β) pro magnâ afflictione atq; cala-  
mitate horrendâ. Ut Ezech. XXXII. v. 7. Unde dies nubi-  
um pro tempore calamitoso accipitur, ut apud Poëtam: Tem-  
pora si fuerint nubila, solus eris. (γ) pro. intègumento, ut  
Thren. III. p. 44. Ubi Deus iratus se nube obtegere dicitur,  
ne preces impœnitentium ad ipsum perveniant: & apud Ho-  
rat. Noctem peccatis & fraudibus objice nubem. Plures  
hujus vocis significationes methaphoricas, ex nubium causis,  
proprietatibus, & effectis ortas recensent & exemplis illustrent  
P. Ravanellus in Biblioth. S. Part. 2. p. 155. B. Glassius in Philo-  
log. S. L. 4. Tract. 1. c. 10. pag. 1225. (2<sup>um</sup> *Metonymicè* vel pro  
Cœlo aëreo, quod nubes sint in aëre, ut Job. XXXVIII. v. 37.  
vel pro Vapore, ut i. Reg. XVIII. p. 44. ubi parva nubes dicitur  
exiguus vapor etc. II. *Proprie* pro Meteoris aqueo, quæ signi-  
ficatio est hujus loci.

§. V. Synonyma nubes in Latio si nebulam fortè exce-  
peris nulla habet. Græcis dicitur νέφθ' vel à νε particulâ priva-  
tivâ & φῶς, quod neget lumen solis, vel à νείφειν, quod est  
βρέχειν s. irrigare, ut placet nonnullis. In Palæstinâ autem  
varia sortitur nomina. In Bereschit rabb. Sect. 13. teste Clariss

Buxtorffo in Lexico pag. 215. *νεφέ* *φωαίς* appellatur נִיפְתָר  
נִיפְתָר.

§. VI. Et sic *περὶ θεωρία*, nominis brevibus expeditam me-  
ritò excipit ipsa *περὶ μαθηλογία* s. rei ipsius evolutio. Cum a-  
dari in communi rerum circulo nubes in prodromo disserta-  
tionis hujus tacitè significaverimus, nec quenquam ita vel à  
ratione vel sensu relictum esse, arbitremur, qui eruditæ & u-  
nanimi tot Philosophorum suffragio approbatæ (ut rusticam  
taceam) experientia obniti ausit, existentiam earundem ma-  
nifestissimam & omnium oculis expositam hinc operosè de-  
monstrare noluimus. Circa essentiam verò & causas nubium  
lites ac controversias, non intricaras minus, quàm momento-  
sas etiam apud illos, qui Philosophi audiri volunt, offendi-  
mus. Nos ex nostra definitione has dirimere impræsentiarum  
provirili allaborabimus.

§. VII. Ut autem omnis alia, ita & nubis abstractivè con-  
sideratæ definitio in duos commodissimè resolvitur & concep-  
tûs, *Communem* & *Proprium*; ille exhibet Genus tam *remotum*  
quàm *proximum*. Prius græcè dictum *μετεωρον* vi etymii sui  
quod sublime vel editum est notans, describitur ab Aristot. l. 2.  
Meteor. c. 1. & Interpretibus ferè omnibus per Corpus imper-  
fectè mixtum etc. conf. Magyr. in Physicâ Peripateticâ l. iv. c.  
1. p. 233. Timpler. Ap. psychol. lib. 11 c. 3. theor. 1. p. 359. Sagittar.  
in Exercitat. Physicis Exercit. 12. At Meteora non sunt corpora,  
adeòq; nec perfectè nec imperfectè mixta. corpus enim Phy-  
sicum est substantia constans materiâ ex quâ & formâ substanti-  
ali, quibus cum destituantur etiam perfectissima meteora, cor-  
porum nomine venire minimè possunt. Hinc nos præviâ ipsâ  
naturâ, & hujus Interprete solertissimo æquè ac felicissimo  
B. Sperlingio in Instit. & Exercit. Physicis lib. vi. passim, Mete-  
ora pro affectionibus & meris impressionibus effluviolorum ha-  
bemus. Et tale meteorum quoq; nubem esse, vel maximè ex  
applicatâ definitione manifestum est; illa enim nubi compe-  
tit. At cui competit definitio, eidem & definitum ut trita ha-  
bet et Logicorum maxima. Proxi-



*Proximum genus* est Latinum, ab aqua, cui originem debet, ita dictum quod enim in mediâ aëris regione quandoq; nubes est, id in infimâ fit aqua, sic redit ad Dominum quod fuit ante suum. *Conceptus proprius* in definitione sistit differentiam petitam à materiâ nubium in quâ, quæ est vapor s. effluvi-um aqueum, & formâ ipsâ nim. elevatione etc. de quibus prolixius discurrendi commodior occasio sese offeret pauló in-ferius.

§ IIX. His itaq; prælibâtis nunc facilè iudicium fieri potest, de communi illâ Aristotelis l. 1. Meteor c. 9. plerorumq; aliorum Peripatet. definitione; juxta quam nubes est vapor humidus crassus etc. Vid Magirum l. 2. p. 383. Præter hoc enim quod illegitimum habeat genus, ex alio sc. desumptum prædicamento (Vapor enim quia effluvi-um est, corpus est, & consequenter quoq; substantia; Nubes verò merùm accidens] falsissimam supponit hypothésin; ac si mediâ aëris regio per se ac necessariò sit frigida. Falsum hoc est, Nam aër, neq; cälidus neq; frigidus, neq; humidus neq; siccus per se est, sed ad has & alias qualitates iudifferenter sese habet quod exinde constat, quia eidem non semper competunt, ut nihil nunc addamus, sententiam adversariorum falsâ denuò inniti hypothési, de transmutatione elementorum. Et ita explosâ hac Aristotelicorum spurriâ definitione, B. Spellingii, quam nostram facimus, in thesi, longè firmiori stat talo; quippè quæ uti legitimo suo gaudet genere & differentiâ, ita nubium naturam satis perspicuè exponit.

### *Theorema II.*

#### *Dividitur Nubes in sterilem & fœcundam.*

*Sterilis est, quæ subtilior est parumq; continet humoris, unde plu-  
viam ex se non generat, sed in atomos, è quibus venit, iterum dis-  
pellitur. Fœcunda est, quæ crassior est, multumq; humoris conti-  
net, unde in aquam resolvitur.*

*ex 72015.*

§. I. Divisio hæc nubium ut communissima ita & eviden-  
tissima

eissima hinc prætermittenda non erat. Nubes enim crassiores & humidiores, quæ vaporibus ex privatione aëris & ignis in guttulas se condensantibus, proprio pondere sobolem atq; prolem suam pluviam putà detrudunt, fertiles dicuntur. Tenuiores verò quæ partum illum negant, ac plus aëris & ignis continent, steriles vocantur.

§. II. Fundamentum hujus distinctionis ipsa experientia nobis clarissimè ostendit. Videmus enim sæpius nubes nigras & densas irriguo humore scatentes ita dilatari atq; expandi, ut amplum nonnunquam tractum quasi contegant atq; obruant et has ad pluviam pariendam idoneas et consequenter fecundas esse, ex crassitie et nigredine earundem facile agnoscimus. Conspicimus etiam deinde alias in aere hinc inde volantes, quas tamen multo tempore nulla insequitur pluvia: quia agitatione ventorum dissipantur. Hinc docti pariter & indocti ex hac nubium dispositione serenitatem aut tempestatem prædicunt.

### *Theorema III.*

#### *Causæ Nubis externæ sunt Efficiens & Finis.*

§. I. Nubes enim tale quid est, quod rationem causati suscipit, adeoq; necessariò causas agnoscit. cum verò hæ in duplici sint differentiâ aliæ externæ aliæ internæ, de illis, quas inter principem locum efficiens obtinet, in præsentia agere constituimus. Est ergo Causa efficiens Universalis prima solus Deus gloriosus, quippe à quo tota dependet natura. Hic enim nubes format, extruit & contiguit in aëre tanquam canacula Jer. X. v. 13. Psalm. 104. v. 3. Hic nubes expandit, & in aëre velut in æquilibrio mirabiliter suspendit, fortificat ac moderatur Job. XXVI v. 9. Ps. XXXVII. 15. nim. ad omnia concurrit Deus, non ad Corporum dumtaxat, sed Meteororū quoq; productionē. Dignissimum verò notatu est nullum ex meteoris tam singulari modo sibi appropriasse naturæ Dominum, quàm quidem nubes. Unde disertè sæpissime in S. Literis dicuntur esse Dei, uti videre est apud Job c. XXVI. v. 8. & quod maximam illis conciliat

Job. 36/71

ciliat dignitatem, vocantur insuper cœnacula Dei, tabernaculum Dei, thesaurus Dei, vehiculum Dei in quo Salvator Cœlum conscendit, & in quo iterum veniet iudicatum vivos & mortuos. Apoc. i. v. 7.

§. II. Veruntamen Cum Deus nec sine naturâ, nec natura sine Deo agat, sed mediatè cuncta fiant, quæ pro causa potentiam Dei ordinatam agnoscunt, de Causa universali secundâ quoq; breviter dispiciemus. Sidera verò sunt, non quidem omnia, sed certa, aliis hæc, aliis alia ex his inferioribus effluvia sursum vehentibus. Non enim putandum ac si ornatus duntaxat ergò tantâ copiâ, virtute & mole stellarum exercitus sint producti, sed potissimum ut influant in inferiora, eaq; afficiant moveant ac mutant, contactu quidem non corporali sed virtuali per occultas qualitates & influentias arcanas. Hinc sol caloris Princeps, Luna humorem Domina, Plejades Hyadesq; nubium & pluviarum genetrices non sine ratione passim salutantur.

§. 3. Haftenus de Causis universalibus, quæ nunquam non, remotè tamen, mundum hunc inferiorem agitant; nunc ad particulares, & hîc quidem instrumentales quoq; deveniendum quæ frigus & ventus sunt. Res sic se habet: posteaquam virtute Stellarum extracti vapores propter ignem resolutam illam aquam in subline vehentem, ad mediam aëris usq; pervenerint regionem, tunc ibi temperatum illòs invadit frigus, atq; sic nubem colligit. Quod si verò vapores illi igne & aëre prorsus priventur, tunc magis magisq; condensantur, & in crassiorem abeunt aquam, quod cum gravior sit naturæ impetu in pristinum statum locumq; revertitur. Non autem sufficit neq; requiritur frigus vel intensissimum, si particulae vaporum per aërem sparse, tam remotæ ab invicem distent, ut nullo modo jungi possint; sed in super requiritur, ut vel ventus occidentalis ordinario vaporum cursui obnitens illos in unum cogat & condenset, vel etiam ut duo alii venti à diversis flantes regionibus illos medios premant atq; accumulent, vel ut alter horum illos in nubem jam jam formatam impellat, uti non ineptè iudicat

B

dicat

dicat Renatus des cartes. Meteorol. c. 5. §. 5. p. m. 220. ubi insu-  
per quoq; eruditè probat, maximas nubes oriri ex duorum vel  
plurium ventorum, occurfu.

§. 4. Finis restat expediendus; atq; hic est vel *supernaturalis*, utpote 1. Majestatis divinæ manifestatio. Insigne enim  
præsentis potentia & potentis præsentia Dei ejusq; gratia præ-  
bent documentum. 2. Hominum, si pii sint, *δοξιασμοια*, si im-  
p *πικροπια* omnium verò atq; singulorum ad Deum conversio;  
imò cedent quoq; nubes in extremo illo die in vehiculum tam  
ipsius Christi judicis, quàm fidelium omnium, qui in nubi-  
bus in occursum Domini rapiuntur 1. Tess. 4. v. 12. Sed de his-  
ce finibus prolixius agunt Theologi. *Vel naturalis* ut scil. 1.  
materiam pluviae, nivi & grandini præbeant, ac ita horum ge-  
neratione aërem humectent, terram foecundent. 2. ut æstus  
solis mitigent nos & omnia inferiora à nimio illius ardore de-  
fendant ac refocillent. 3. ut tempestatum significantij varia-  
tes, & sic porrò.

*Theorema IV.*

*Causarum internarum loco stant materia inquâ, & forma acci-  
dentalis.*

*ἐκ τῶν αἰσθητικῶν.*

§. 1. Nubes enim non agnoscere causas internas rigorosè  
loquendo materiam ex quâ sc. & formam substantialem, vel ex  
eo probari potest, quod sint accidentia & nudæ impressiones  
aqueis effluviis superadditæ; jam verò nullum accidens habet  
materiam ex quâ & formam substantialem, uti alibi demon-  
stratur. Materia inquâ itaq; nubium *remota* est aqua, non ex-  
cluso tamen prorsus vel aëre vel igne. *Aqua* quidem, quippe  
quæ varias induit formas, modò lique facta modo concreta:  
modò resoluta in vaporem est nunc elevata, nunc depressa; &  
in hanc nubes, si nimis contractæ & condensatæ sint, postlimi-  
nio abeunt. *Aëer vero & Ignis*, quippe quorum beneficio nubes  
leves sunt, proptereaq; ascendunt ac facile evanescunt. *Proxi-  
ma* materia est vapor. nubes enim nihil aliud sunt, dicente B.  
Spechtlingio, Instit. Phyl. L. V. c. 8 ad præcept. 3. p. m. 825. quàm  
aromorum congeries aquearum quæ maximam partem è mari,  
fluminibus, stagnis aliisque aquis egrediuntur. Hinc  
regione

-regiones maritimas creberrimæ inebriant pluviae. Et huc du-  
 bio procul quoq; respexit Salvator, inquiens: Cum videritis  
 nubem orientem ab occasu statim dicitis, nimbus venit & ita  
 fit Luc. 12. 54. Palæstina enim Occasum versus habuit mare, è  
 quo vapores pro fecundis nubibus; sunt verba clariss. Bartholi-  
 ui Phys. special. part. 2. c. 1. p. 122, ex fimo tamen, aquis, aliisq;  
 humidioribus locis non pauca quoq; effluvia elevari, testis ex-  
 perientia est. Errat hîc Danæus part. 1. Phys. Christ. tract. 12. c.  
 21. qui quandam nubem ex aquis illis [supracælestibus conden-  
 satam & comparatam fieri contra Scripturam & naturam im-  
 prudenter asserit.

§. 2. Forma nubis accidentalis (Substantialem enim me-  
 teoris, quæ formaliter spectata, accidentales figuræ duntaxat  
 sunt, non competere jam suprâ dictum) illa vaporum dispositio  
 & ad mediam aëris regionem elevatio est. Per hanc differt  
 nubes à nebulâ. quod enim nubes in medio, id nebula in infimo  
 aëre est,

*Theorema V.*

*Affectiones Nubium sunt Figura, Quantitas, Motus, Tempus,  
 Locus, Color, & Distantia à terra,*

*ἐκ θεοῦ*

§. I. Et hætenus de Causis nubium paulò prolixius ob  
 materiae nobilitatem egimus; nunc non penitebit operæ, si &  
 de earundè affectionibus (latius accepto vocabulo pro quolibet  
 accidente etiam extrinseco) nonnulla adnectamus. Carda-  
 mus Lib. XVII. subtil. nubes in utrâq; superficie planas esse con-  
 tendit. Nos illis formam seu figuram proximè circula-  
 rem adscribimus, & ad rotunditatem vergere asserimus. Ita sentit  
 Scalig. Exerc. 80. sect. 2. quando ait: necesse est nubes partium  
 naturam pristinam retinere; aër autem & aqua & terra ad cen-  
 tri rationem diriguntur. Itaq; terra & aqua accedendo, aër  
 recedendo semper in orbem suas curvabunt superficies. Ita  
 quoq; Cartesius, qui ventos non in rectum, sed in orbem nu-  
 bes agere, easdemq; præsertim densiores circum rotare probat.  
 lib. 5. de Meteor. §. 13. p. 225. ita & plures alii. Hoc saltem ob-  
 servandum, nos hîc tantum de superficiebus nubium superio-

B 2

ri &

ri & inferiori loqui, non verò de lateralibus, quia inæqualis  
materiæ quântitas, quam singulis momentis ventiis adjicere  
& avellere possunt, figuram earum in æqualem plerumq; & irre-  
gularem facit. Argumenta quæ Cardanus contrà nos urget, ex-  
plofa legi possunt apud Fromondum l. r. Meteor. c. 5. sect. II. p. 303.

§. II. Quantitas nubium tam continua quam discretà mirum  
In modum variat pro varietate locorum, temporum, vaporum  
ac ventorum: nunc enim majores, nunc minores, nunc densi-  
ores, nunc rariore sunt. Nonnunquam tantà gaudent mole,  
ut instar maximorum montium in aère pendeant & densitate  
suâ solem obtegant & obumbrent, adeò ut noctem inducere  
videantur. Quà numerum, plures uno eodemq; tempore  
comparent una in occidente, altera in oriente etc. id quod  
ipsa probat luculenter *avē φία*. Nec ignotum nobis, quod con-  
stat omnibus, plures non rarò nubes, unam suprâ aliam existe-  
re, præsertim in locis montanis. Nim ubi materia copiosa ad  
nubem formandam elevatur, ibi multas simul oriri posse, non  
improbabile videtur.

§. III. Motum Nubium, cum valdè incertus sit, accuratis  
suis limitibus circum scribi non posse manifestum est. Nunc  
ascendunt, nunc rectè nunc obliquè moventur, sc. pro materiæ  
dispositione, & ventorum è diversis mundi plagis spirantium  
impulsu. Si autem ventis altè quiescentibus summa incidat  
tranquillitas, sequuntur ductum solis, cujus vi motu primo ab  
oriente in occidentem circumaguntur. conf. Magir. Phyl. L.  
7. c. 6. l. 284.

§. IV. Nubes non omni tempore conspicimus; sæpè enim  
cælum adeò serenum, ut ne nubecula quidem adsit. Frequenti-  
us autem vere & autumno, quàm reliquis anni temporibus ac-  
cidunt, quod tunc temporis vapores in majori copiâ ex aquâ  
& locis paludosis extracta cum frigore aëris concurrant. Spe-  
cialior temporis determinatio, in quâ oculos nostros potissi-  
mum feriunt, dies est, non exclusâ tamen nocte, si sc. dies tepi-  
dus & insolatus præcesserit. Quamdiu verò durent, certo de-  
finiri non potest. qua propter respicienda loca, respicienda  
quoq; tempora.

Locus

§. V. Locus communis nubium elaborandarum Aër est; cum verò hic utut corpus homogeneum sit, in tres distribuatur regiones situ, usus quantitate distinctas, specialem nubium locum dicimus non primam, quæ purissima ac serenissima, & ad quam nubes non pertingunt, sed mediam esse ut plurimum scenam & in infimâ regione eas non nunquam deprehendi constat. E montis humilis sapè vertice qui respicit, nubem, in medio montis conspicit: testatur id propriâ edoctus experientia Fr. Picolom. de Meteor. e. XI, qui homines in sublimioribus montibus degentes, vel per eos iter facientes infra se in convalibus conspiciere pluvias scribit, cum ipsi in sereno aère sint, idq; sibi per alpes & Apenninum iter facienti contigisse.

§. VI. Colores nubium an veri an saltem apparentes sint, in utraq; disceptare solent partem. Nos observatis Opticorum placitis in posteriorem inclinamus sententiam. Sunt enim colores apparentes, qui solâ luce adventitiâ fiunt, eâq; recedente iterum desinunt. Conspicimus autem nubes nunc hos nunc illos recipere & imbibere colores, pro varia materiæ, astorum solisq; præcipuè radios recipientis dispositione. Incidente enim lumine in nubem raram & subtilem albus generatur color in densam & crassam, niger, in aquosam & toridam, viridis, in vaporosam ac fumosam rubens, sunt verba B. Spellingii Inst. Phys. l. 5. c. 10. p. 87. Ut aqueæ puerorum bullæ Soli objectæ varios referunt colores. sic nubes lumine solari illustratæ egregiis colorum pinguntur speciebus; quas eruditè eruditus Pontanus sequentibus descripsit versiculis:

Alba parum densa est, raroq; immista vapore,  
 Quam sol irrumpit radiis & ad infima tranat  
 Nigra gravem traxit denso caligine fumum,  
 Non illam ut penetrent Nema lumina Phœbi.  
 Punicæam multus subit calor; occupat humor  
 Caruleam, gravidamq; imbri, longeq; madentem.

De ultimâ affectione aget.

SECTIO II.

Quæstio I. Quanta sit nubium à Terris distantia?

Postquam in præcedentibus locum nubium determinavimus conlequens est ut propter tororem materiæ nexum nonnulla

B;

quoq;

quoque de altitudine earundem adducamus. Quanta verò illa sit, hoc est, de quo.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Alii putant ultra tria milliaria nubes, a nobis non distare, Alii illas vix ultra dimidium milliare elevari asserunt. Meurerius in quæst. Meteorol. p. 249. communem, inquit esse opinionem, nullam nubem supra novem milliaria a terra distare. Kepplerus lib. 1. Astron. p. 3. eas ultra quadrantem unius milliariis ascendere negat. D. Rhodius easdem vix sesqui milliariis germanici altitudinem assequi statuit. Quæ sententiæ omnino suâ probabilitate non destituuntur. Vitellionis opinio hæc est, vapores passibus, 52000 s. milliariibus Germanicis 13. ascendere. Cardanus Vitellionem reprehendit lib. IV. de subtil. & maximum spacium, ad quod vapores possunt elevari docet esse 77200 passuum, i. e. Milliarium germanicorum 193.

§. II. Sed tantam nubium altitudinem esse vix probabile est, reperiuntur enim montes, qui supra totam nubium stationem surrigunt vertices. Nubes excedit olympus, magnificè clamat apud Poëtam Brutus, Solinus refert in cacuminibus Olympi & Athonis cineres post sacrificium relictos toto anno nec ventis diffari, nec aquis dilui. Zarabella sibi usque venisse inquit, quod pluribus aliis, ut adscenderet summitatem usque montis veneris, omnium altissimi in agro Paravino, ubique se pertotum diem aërem habuisse serenissimum, sed infra circa medium montis vidisse nubes, quarum interjectu valles videre non potuerit; vespertino autem tempore cum de monte descendit, invenisse factam eo die in inferiori parte ingentem pluviam, cum in montis vertice non pluisset. Hinc colligebat se per mediam aeris transisse regionem. Eadem referunt propriis instructi expertentiis Joh. Baptistæ Porta, & Joh. Baptistæ Hellmontius. Nos cum *pari Physicorum sine pari Sennerto & Sperlingio*, utroque *ὑπὲρ ἀγίων* omnium optimè littem hanc componimus, asserendo altitudinem nubium non esse eandem, sed variam maximè & inæqualem pro varietate materiæ, locorum & temporum: imò quod supra etiam a nobis observatum, eodem tempore eademque in regione nubem aliam aliâ esse altiorem, atque unam super alteram ferri visu percipimus. Ipse vidi, ait prælaudatus Sennertus Epit. suâ L. II. c. 5. p. 33. duas nubes contrariis moveri moribus, unam supra alteram moveri versus ortum, alteram sub aliam moveri versus occasum. Et quid multis? Ipsum nubium receptaculum seu media aeris regio, quæ illis dimetiendis inservit non semper æquali gaudet altitudine.

Quæstio II *Quæ Causa Nubes in medio aëre suspendat ac sustentet?*

§. I. Miramur sæpius quot quot mortalium sumus, quomodo et quâ virtute tanta nubium moles in libero aëre pendeat nec terram obruat



obruat facile Antonius. Berga' et Scalig. Exere. 79 teste Formondo in Meteorol. l. V. c. V. credunt illas virtute quadam magnetica a Sole suspēdi: Sed perperam nullam enim licet deprehendere *Sympathiam* inter Solem et nubem unde raptus iste oriatur. Et præterea i sic tempore nocturno universæ nubes deciderent in terram desertæ a Sole occidente. Impossibile enim videtur Solem apud Antipodes lucentem nubes nostri Hemisphærii in aere posse sustentare. Meurerius unico quidam ictu difficultatem hanc abscindit, dūm illas a Deo sustentari scribit, sed *ἄνθρωποι* nondūm satisfecit, nec nodum planè solvit. Deum, quī super nihilum fundavit terram nubes quoq; in alto tenere suspensas, ipsimet libenter largimur. Verūm cum constans sit Physicorum assertio, in rebus naturalibus non esse acquiescendam in causis universalibus ac remotis, proximior & particularis indaganda erit. Hæc autem levitas est; quæ præditæ nubes descendere nequeunt. Vapor enim non ob gravitatem superas affectat sedes, & nubem illic patitur; sed ob levitatem quæ tam in matre quam in filia originē suam trahit a contentis igniculis.

Qv. III. *Quid statuendum de fragmine Nubium?*

Totis conturbamur animis & nos ipsos vix capimus ipsi, quando vel legimus, vel audimus, vel proprio damno experimur horribilia nubium fragmina hic & illic accidisse, quæ præcipiti lapsu ad terram inacta illa aquarum ruentium copia, integras urbes, pagos, pontes, ædes, turres & obvia quævis funditus subruerint, pecora suffocarint, & quod maximè dolendum, multa millia hominum diversis temporibus miserè submerferint. Exempla passim apud Autores occurrunt. Sic Anno 1552. ut refert Peucer, l. de devinat. Budissinæ in patriâ suâ subito evulso fragmine nubium magna exorta est aquarum inundatio effluxusq; , quo non tantum pontes, horti & ædes, sed multi etiam homines miserè perierunt. Tales inundationes quoq; anno 1432 teste Calvisio ex Spangenberg, circa initium Augusti per totam ferè fuerunt Germaniam; Sed hæc longè petita sunt. In recenti apud omnes sine dubio erit memoria; quam irreparabile damnum anno proxime præcedenti Lusatia superior sensit, ex delapso, & propè pagum *Schirgswalde* in monte diviso nubium fragmine; loquuntur de eo incolæ conternati ac prostrati, restantur id pagi miserè devastati etc. Tantam vicinæ gentis cladem quis sine dolore ac mærore recensabit?

§. II. Causam huiusrei naturalem Naturæ Interpretes anxie semper quasiverunt. Probabiliter eam pleriq; in subito ponunt frigore hoc dicunt aliquot nubes, succentū tan e vento in unum colligere ac ita condensare, ut non guttat in, se plena aqua delabatur rivis. Verūm tutissimum esse videtur præter communes illas causas primam ac invisibilem causam præprimis attendere. Hæc enim ut ubiq; presentissima sic & efficacissima est. Hæc ferè eam causarum secundarum, prout homines vel pennis vel præmissis afficiendi sunt, libere disponit, dicente

Sperlin-

Sperlingio l. c. unde & fractura illa in facta, cum grandius quid in re-  
cebu ha'eant, nunquam frustra & impune fuerunt facta; sed plerumq;  
vel pestem vel bella horribilia crudelesq; populos praedivinarunt & se-  
cum traxerunt. Unico id stabilimus exemplo, ex historia superiorum  
annorum desumpto; Antequam immanissima Tartarorum gens a Ture-  
arum Tyranno in belli societatem pertracta, incredibili saevitia in Mo-  
raviam conterminasq; provincias impetum faceret, tale inusitatum  
praecesserat nubium fragmen.

§. III. Quae vero Historici de famosissimis diluviis Deucalionis in  
Thessalia & Ogygis in Achaia referunt, illa meras sapiunt nugas &  
fabulas Poeticas, quibus deputatis & refecatis ipsum non obscure ma-  
nifestatur diluvium, Catholicum. Quae enim Plutarchus de columba  
emissa Phavorinus & Stephanus de loco in quo arca haesit, quae Alexan-  
der de Saturno, Ovidius l. i. Metam. de Deucalione memorant, ea om-  
nia non inconcinnam Symphoniam habent, uti inspectio & collatio do-  
cet, cum his quae de Noha & Universali diluvio tradit Moses. Hinc  
colligitur multa ad Ethnicos dimanasse ex iis quae in Genesi describun-  
tur. Quae hinc posset, unde tanta aquarum, quae in Oecumena il-  
lo cataclismo 15 ulnis altiores altissimis montibus surrexerunt, copia ad  
solas nubes causa referri non potest, quippe quas montes excelsi longe  
excedunt, aquas vero supra caelestes, qui descendisse asserunt, in extri-  
cabilibus sese involvunt & difficultatibus & obscuritatibus. Immen-  
sa enim caeli profunditas, stellarum in tuto ita servandarum difficultas,  
nullatenus tale quid opinari admittunt. Imo omnimoda  
ruina mundi, si aquae illae defluxissent, praesentissime spectanda fuisset.  
Nos igitur simpliciter scripturae infallibili credimus, per cataractas cae-  
li extraordinaria, scilicet, diuturniora & copiosiora ad extir-  
pandum sceleratum hominem a Deo undiquaque collecta nubium frag-  
mina; per fontes abyssi magnae, profundissima marium barathra, clau-  
stra, accessus & recessus repagulaq; aperta & laxata intelligimus.

### SECTIO III. AXIOMATA.

I. Nubes Parelii, Halonis Iridis & aliorum Meteororum commune ple-  
rumq; est receptaculum.


III. Vermiculos in nubibus generari posse non adeo videtur al surdum  
esse. Semina enim cum materia futurae ubi e paludibus ardore solis e-  
levantur ibiq; excluduntur. Testatur id experientia, confirmant Auto-  
res Aristoteles Strabo, Scaliger Cardanus Fromond. l. c. qui omnes tradunt  
ranas, pisces, aliosq; vermiculos desapsos. Quod vero alii ex Avicenna  
referunt, vitulum aliquando decidisse credendum non est, uti nec illud  
quod Poetae de nubigenis centauris tradunt, cum enim Ixion Junonem  
deperiret fabulantur, oblata est ei nubes, quae imaginem Junonis reprae-  
sentaret cum qua congressus genuit centauros.

IV. Diabolus cum sagis suis ne nubeculam quidem propria autoritate  
producere potest; quanquam non negemus, illum seu principem aeris &  
naturae optime gnarum permisso Dei Vapores elevari, nubesq; existare  
posse, ut mancipia sua dementet, sed Tantum?

SIT SOLI SUMMO GLORIA SUMMA DEO.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Physica

E

Athens

IO

PHILONIS

f.

συζητήσει exponit

NGIUS

us.

1. 1667.

matutinis.

Æ,

M. DC. LXVII.